

II.
P. 22949.
c/s. 1.



22847. H. L. e. 2. L. 1.

IN
AUSPICATISSIMO ADVENTU AD URBEM

ET

ARCHIDIOECESIM GORITIENSEM

CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

ANDREÆ GOLLMAYR,

PRINCIPIS ARCHIEPISCOPI,

ILLYRIQUE METROPOLITÆ.

Rhagusinorum Vota et Gaudia.



LABACI 1853.

TYPIS JOSEPHI RUDOLPHI MILLITZ.

1717

AUSPICATISSIMO ADVENTU AD TERRAM

ARABIDICISIMIS GORILLIENSIS

CELESTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

ANDREAE GOLLMAYR

EXCELSISSIMO ACADEMICIS

ILLYRIQUE METROPOLITAE

Rhegionem Vota et Gaudia



1883 10 15

LIBR. JOSEPH. VINDOB. MUSEI

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO
PRINCIPI ET ARCHIEPISCOPO GORITIENSI
ANDREAE GOLLMAYR



Norcia, gaude tibi, festivos exsere plausus,

Et merito, laetis adnuit auspiciis

Nam tibi Pontificem Tibridis vox consona, et Istri

Doctrinâ insignem, ceu pietate Virum.

Splendidâ gessit adhuc quae munera, mentis acumen.

Vimque animi pandunt, eximiumque decus

Rerum usu expertus dudum quae mente revolvit

Coepta idem factis grandia perficiet!

Demissus coelo, aeternum gestansque Volumen

Aliger ut, Veri praeferet ille facem.

Fidus Pastor oves, inimicâ fraude repulsâ,

Pascet agens tuto per sata lecta gradu.

Exemplo informans virtutem provehet ore,

Aegris et miseris auxiliumque feret,

Consilio hos recreans, dextrâ dum sustinet illos,

Cunctis praeruptam sternet ad astra viam.

Assiduus Custos speculâ vigilabit ab altâ,

Supplex et genibus procidet ante Deum,

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO HOMINO

REVERENDI ET ACCEPTESSIMO GENTILISSIMO

ANDREA GOLLMAYR



Si qua dira lues, sive ingruat atra procella,
Avertetque tuis tristia damna focis,
Impiger alter Aaron implere altaria donis,
Dum sibi commissum sospitet ipse gregem.
Quae te fausta manent, divino et numine tanti
Praestiterit virtus cognita Pontificis.

Blasius e Baronibus de Ghetaldi,

*Sacrae Caes. Apost. Majestatis a Cubiculis et Consiliis
Aulicis.*

CORYDON

SIVE UNIVERSA ARCHIDIOECESIS GORITIENSIS

IN ADVENTU

SUI NOVI ARCHIEPISCOPI

PRINCIPIS ANDREAE GOLLMAYR

etc. etc. etc.

IDYLLIUM.

Desine luctisonos jam desine, tibia, cantus,
Sat lacrymis votisque datum: pius ille Menalcas, (*)
Quem canis ante diem crudeli funere raptum,
Siderea laetatur ovans in sede receptus,
Illi nec nostri, fas credere, cura recessit.
Vestro, Dî superi, vestro sub numine semper
Exstitit haec tellus. — Rerum cui summa potestas
Et Summus toto est Pastorum Antistes in orbe,
Concessere bonum propriumque dedere magistrum
His ovibus Daphnin. Quis nescit Daphnida? Sylvas (**)
Ipse etiam incoluit; teneras in vallibus herbas
Pascentes curabat oves, ad flumina pastas
Ducere jam didicit, potasque includere septis.
Non tam nota suae nec cara est nata parenti
Quam tibi, Daphni, pecus. Tuti cum matribus agni
Carpebant dulcem, insomni custode, soporem.
Ludite, oves: Superi vobis haec munera servant.
Sed quae tam subito contristat gaudia ruris?
Heu! heu! moesta sonat vox exaudita per agros;
Heu! heu! nunc tantum respondet flebilis echo;
Heu! heu! pastor abit. Tenerae grex immemor herbae
Sola in valle gemens, nullo custode, vagatur.
Te solum quaerit, te, Daphni, moratur in uno.

(*) Ultimus, sanctae memoriae, Archiepiscopus Goritiensis.

(**) Celsiss. Archiepiscopus et Princeps, qui hîc Daphnidis nomine innuitur, curam animarum in patria gessit.

Parcite, oves, lacrymis: si quid lenire dolorem
Haec valeant vestrum solatia. Daphnis et ipse
Non sine vos lacrymis abscedens deserit: isti
Non unquam illius labentur pectore colles,
Nec tu, dulce pecus. Pastorum ante omnia vitam
Ille amat, hanc, Superi si vellent, degeret usque.
Eja meum lactare pecus: non irrita Numen
Haec faciet, casus respectant vota futuros.
Dulce sonant rivi per amoena vireta fluentes
Dulce et populeâ cantat philomela sub umbrâ,
Daphnidis ante alios dulce os, jucundaque vox est,
Sive artem doceat patrio sermone canendi, (*)
Quae sacri quondam, sacras Jordanis ad undas
Divino afflati cecinerunt numine vates;
Seu docta emerita praecinctus tempora lauro (**)
Ad studium juvenes usumque informet agrorum,
Ut discant, olim pecori qui cultus habendo;
Ostendatque viam, quaerectâ ducit ad astra, (***)
Luce ubi tergemina divina effulget et unâ
Majestas; ubi laeta manent, post fata, beatos
Praemia: seu moneat virtutum exemplar et auctor,
Quo sit honore Deus, quo frater amore colendus.
Felix grex, dabitur cui talis sorte magister.

(*) Sacrae Litterae N. F. in slavicum sermonem versae.

(**) SS. Theologiae Doctor, Facultatis Theologicae Caes. Reg. Universitatis Pragensis Membrum.

(***) Professor Theologiae Dogmaticae in patrio Seminario.

Interea quis cura, est ovium et quis cura palaestrae, (*)
 Mens ubi Palladias juvenilis docta per artes
 Excolitur, vosmet rebus servate secundis.
 Caesaris hinc leges, hinc non temeranda profanis
 Pastorum sacra jura vigent. Consultor utrinque
 Quis stabit medius, vindexque tuebitur aequum?
 Absistat, quicumque animum spe pascit inani,
 Non tu, Daphni! Tibi comes est prudentia; noscis,
 Quae tribuenda Deo (**) (lex est divina), quid omnes
 Debemus regi non inconcessa jubenti.
 Macte animo; quo te Caesar dignatur honore,
 Utere: Belligio hoc patrum, hoc studiosa juvenus,
 Caesaris hoc pietas non ulli aequanda requirit;
 Sicque per Illyricas oras, sic deinde per omne,
 Qua late patet Imperium, sua praemia Musis
 Stabunt, atque aris meriti indicentur honores.
 Sed quod tanta viri referet solertia munus?
 Pastorale pedum vittaeque atque infula Daphnin (***)
 Exornant, at nulla gregis custodia, nulli
 Colles, non saltus, non mollia prata nec amnes.
 Currite jam soles. optatam adducite lucem:
 En pecus! Orbatum caro pastore, magistrum

(*) Referens pro rebus ecclesiasticis penes C. R. Gubernium Tergestinum, dein Caes. Reg. Apost. Majestatis a Consiliis Aulicis et Referens penes Excels. Ministerium publicae Instructionis Viennae, nec non Gymnasiorum totius Imperii Administrator.

(**) Date Caesari que sunt Caesaris etc.

(***) Abbas mitratus S. Petri de Petur in Hungaria.

Exposcit lacrymans. Quis tantâ Daphnide curâ
 Dignior? — Oh, votis Deus annuit. — Ecce magister.
 Fontibus integris gaudete et gramine, Daphnis
 Quo vos ducit oves: non diro infecta veneno
 Flumina, nec miseras fallent aconita legentes;
 Neu trepidate: boni vigilantia Daphnidis usquam
 Vos non destituet; non mercenarius ille
 Qui mactanda lupis fugiens armenta relinquat.
 Vos, ubi pascet oves Daphnis, discedite fures,
 Non licet hoc vobis ab ovili ducere praedam.
 Multa illum virtus, rerum experientia multa
 Huc duxere, ovium et primum fecere magistrum.
 Ergo pericla pati, si stat sententia Divis,
 Pro grege non metuet certaue occumbere morte.
 Dî tantum prohibete nefas! Simulacra Deorum (*)
 Sunt quicumque Deos imitatur moribus aequos.
 Ergo diu intersis nobis, bone Daphni, precamur:
 Hic Pater, hic Princeps, pecorumque vocabere Custos;
 Ipse tuas et amabis oves et amaberis illis.

Thomas Tvardko e Scholis Piis

Caes. Reg. Gymnasii Rhagusini Director emeritus.

(*) Vos Dii estis.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI ET ARCHIEPISCOPO

ANDREAE GOLLMAYR

primum Archiepiscopale Goritiae Solium Scandenti.

Meu! nimium tardae labuntur amantibus horae,
Nec solitò tempus creditur ire pede;
Hinc caput, Andrea, celsae submitte tiarae,
Sume pedum sacra Pontificale manu,
Et propera ad magnam Praesul celsissimus urbem;
Gestiet haec votis rite potita suis.
Haud fallor: Praesul Princeps insignia sumit,
Queis jam nil majus Norcia laudis habet.
Dextra gerit lituum, ex humeris nova purpura pendens
Defluit, et vasto syrmate verrit humum:
Annulus in digitos fidei perducitur obses,
Cingit honoratas sacra tiara caput.
Relligio, Rectum et Pietas comitantur Euntem,
Condecorantque bonum quae bona cumque virum.
Pergit et ire quidem coetu circumdatus almo,
Cui curam Caesar credidit Illyriae.
Per fora, per vivos, per compita perque penates
Quidquid adest festum nuntiat esse diem.
Spectandi studio concurritur undique: turbae
Iam certant studiis praeripuisse locum.
Multos augustae species pulcherrima pompae,
Nec non sacrorum splendor et ordo tenet:
Multos Pontificum majestas sancta moratur,
At rapiunt cunctos Praesulis ora novi.

Hinc dotes memorare, sacras et pectoris artes
Et quid praestiterit dicere quisquis avet:
Ut vigil et curas animo fuit acer in omnes,
Fidus ut in Reges extitit inque Deum:
Ut fuerat semper custos fidissimus aequi,
Ut se praeclaris artibus erudiit:
Ut comis, patiens, frugi, bonus, atque disertus,
Munificusque inopi tempus in omne fuit.
O qualis facies! omnes tunc impete clamant,
Quam placidae speciem signaque mentis habet!
Aurea nunc nobis aetas revirescet ubique,
Nec lolium aut spinas cultus habebit ager;
Nec noceant fraudes, quas suggerit impius error,
Qui se fucatâ relligione tegit.
Fame laboranti, viduae, orbatisque parente,
Consilia et cassis qui auxilietur erit.
Talibus alloquiis incendunt mutua cives
Pectora, spesque suas laetitiamque foveant.
His neque vana fides, Praesul celsissime: cuncta
Ne dubito praestes: haec dia fata jubent.
Ne te percillant nimiâ formidine curae,
Quae tibi stant circum Pontificale decus.
Spumeus ut cursu nunquam cassante Timavi
Truditur a fluctu posteriore prior;

Sic quos aggredieris summos virtutis honores
 Affluet assidue, quo tenearis, opus.
Novi quam durum summo insit pondus honori,
 Sed Tua mens tantum ferre valebit onus
Non hic virtutes, laudum monumenta Tuarum,
 Persequar, o Princeps; impar ut officio:
Deficiunt vires mihi Te celebrare volenti,
 Haeret et in dubio nescia lingua sono,
Non secus ac audax solet, ac minus apta carina,
 Dum rapidas pelagi vincere tentat aquas.
Si licet, oro tamen, magnas modo supprime curas,
 Et bonus accipias, quae tibi nostra lubens
Gaudia testatur tellus, et fausta precatur,
 Laudibus atque tibi concinit innumeris,
Dalmatiae, Princeps, ne spernas munera gentis,
 Quae Tibi sincerum donat in obsequium.
Da veniam et Vati; vultu venit ille sereno,
 Adjuvat et votis publica vota suis;
Et Tibi pro meritis dignas persolvere grates,
 Et memorem mentem prodere jure cupit.
Di Tibi dent, Praesul, longaevae tempora vitae,
 Ut niteas sospes laudibus omnigenis.
Sed nunc Illyricam totam circumspice turbam,
 Quaque venis gaude vix reperire viam,

Et placeat, quod quisque optat Tibi proximus esse,
Et studium populi, iudiciumque nota;
Cumque sat e vultu fuerit mens cognita, dicas:
O! quantum Illyridum diligor ex animo;
Omnibus at studiis pariter contermina tellus
Dalmata me toto pectore prosequitur:
Hinc fas, cum Illyricis coelestia dona reposces,
Pro nobis etiam concipe mente preces:
Pro Te nos eadem faciemus nocte dieque;
Perpetui hoc nobis pignus amoris erit.

Lucae Svillovich Rhacusini

*in Caes. Reg. Gymnasio Superiori Spalatensi
Professoris p. O.*

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO

ANDREAE GOLLMAYR

PRINCIPIS DIGNITATE INSIGNITO

SACRAE CAESAREAE APOSTOLICAE MAJESTATIS A-CONSILII AULICIS

SS. THEOLOGICAE DOCTORI

CAES. REG. UNIVERSITATIS PRAGENSIS FACULTATIS THEOLOGICAE MEMBRO

etc. etc. etc.

PIETATE DOCTRINA MORUMQUE SUAVITATE

SPECTATISSIMO

REGIMEN PASTORALE

ARCHIEPISCOPALIS METROPOLITANAE GORITIENSIS ECCLESIAE

XXIV. JUNII MDCCCLV.

EXULTANTIBUS ANIMIS

FAUSTE FELICITER.

AUSPICATO.

Sponte Tibi laudes mea quae Rhacusa dicavit
Ne quaeso, Antistes Optime, despicias!
Parvos parva decent. Oh! suscipe parva benignus
Pignora, sincerus quae Tibi prompsit Amor.
Est Tua nam Virtus quae pectora cuncta potenter
Allicit, et dulci replet amore Sui,
Virtuti plaudit doctorum turba Virorum
Dum certat laudes ingeminare Tibi.
Ipse Tui quoque quem decorant non pauca favoris
Signa, inquam, tanti haud immemor officii:
O jucunda Tuae patriae Spes et Gregis, annos
Vive Tuos, Princeps Optime, vive meos.

Gr. Raicevich

Presbyter Rhacusinus.

CELLSINO ET REVENNDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AD DOMINO DOMINO

ANDREAS COLLMAR

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO APOSTOLICI PALATII A CONSILIIS AUSTRIAE

IN THEOLOGICA FACULTATE

CAUSAE THEOLOGICAE FACULTATIS THEOLOGICAE MENSURA

et c. et c.

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO METROPOLITANAE ECCLESIAE

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

AUSPICATO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO

DE REVERENDISSIMO

REVERENDISSIMO



